



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 39. Monasteria, atque horum Religiosorum redditus in alios usus
impensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. Sancti Cardinalis charitate, ac Mediolanensium pietate. Sacrum Purpuratorum Senatum habuit, suaque auctoritate Apostolica Humiliatorum Ordinem penitus suppressit. Tum hic Ordo, qui olim nonaginta quatuor Monasteria recenserebat, non nisi centum septuaginta quatuor Religiosos complectebatur, plures enim erant Præposituræ, quarum cunctis proventibus solus Præpositus fruebatur. Perficiebatur hæc extirpatio bino diplomate, quorum unum septima, alterum octava Februarii die anno sequenti millesimo quingentesimo septuagesimo primo promulgabatur.

§. XXXIX.

Monasteria, atque horum Religiosorum redditus in alios usus impensi.

Giuss. c. 27. Postea præcepit summus Pontifex, ut Generalis Præpositus, Superiores, totusque Ordo penitus abolerentur, illi vero centum septuaginta quatuor Religiosi, qui supererant, ad ædes ipsis assignatas sese reciperent, ibidemque sub Ordinariorum jurisdictione vitam instituto suo consonam ducerent, Novitii autem e monasteriis dimitterentur: professis denique Senioribus, ne quempiam in posterum ad suum Ordinem reciperent, inhibuit, ac beneficia distribuendi jus sibi reservavit: postquam

quam igitur Sanctus Carolus diploma, quo hic Ordo supprimeretur, jamjam promulgatum esse intellexerat, ex suis nobilioribus Domesticis quemdam Romanam ablegabat, qui Romano Pontifici supplicaret, quatenus ipsi pro suis Collegiis, ac Seminariis, eorumque sustentatione quædam horum Regularium monasteria unacum eorum redditibus concedere vellet. Annuit Pius V, ac Borromæo concessit I. Ecclesiam, & Conventum de Brera, in quo Jesuitarum Collegium, & publicas Scholas erexit. II. Ædes Sancti Joannis ad Portam Orientalem, ad quas Carolus amplum suum Seminarium transtulit. III. Canoniam ad portam novam, quæ pro juvenum Clericorum Seminario destinabatur. IV. Conventum Sanctæ Mariæ ad eandem portam, ubi Collegium Nobilium fuit stabilitum. V. Monasterium Sancti Spiritus pro Collegio Helvetiorum, ubi tamen hodie Virginum asceterium est, præfatum enim Collegium aliorum fuit translatum.

§. XL.

Sexdecim Cardinales a Pio V. creati.

Die decima septima Maji hoc anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo Pius V. sexdecim Cardinales, atque ex his quindecim Presbyteros,

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Ciacon. vit.
Pontif. t. 3.
p. 1038.

ROS,